



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX

S. Vincentij Martyris festo Paraphrasis in Lectionem Esaiaë. Cap. LXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

ditis, & factis proles suas ad turpia prouocant, illisq; perditissimis exem-
plis suis autores sunt ad perpetranda mala, quibus debent esse causa salu-
tis. Atq; vt sermone finem imponamus, id vos dilectissimi summopere ora-
tos velim, si quempiam ex illis, qui vestra curæ commissi sunt, siue sint filij
aut filia, aut alias sanguine coniuncti, ad virginitatis custodiam aspirare
cernatis, vt ne qua ratione illum à tam sancto proposito auocetis: sed potius
bene currenti calcar adhibeatis, vt vestris adhortationibus feruentior effi-
ciatur. Non patiamini vnquam prolibus vestris maximè dum adhuc in
etate tenera sunt, familiares esse siue famulos, siue ancillas, aut quo liber-
alios, qui verbis aut moribus impudici sint, ne ab illis discant, quod postea
vix vnquam possint dediscere. Christus Iesus sponfus & corona virginum
omnium nostrum cordibus sanctæ castitatis aspiret amorem, vt pro illius
desiderio fœdas omnes carnis despiciamus voluptates, tanto copiosioribus
olim in cælesti paradiso delicijs perfruituri, cum sanctis omnibus. Quod
ipse nobis præstare dignetur, qui cum Deo Patre in vnitatis Spiritus sancti
viuit & regnat in secula benedictus, Amen.

Proles ad vir-
ginitatis cus-
todiam vt
sunt à paren-
tibus iuuandæ.

IN FESTO SANCTI VINCENTII MAR-
tyris, Lectio Esaia Prophetæ cap. XLIII.

Hæc dicit Dominus creans te Iacob, & firmans te Israel. Noli
timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo. Meus es in
terris. Cum transferis per aquas tecum ero, & flumina non operient te.
Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non arde-
bit in te, quia ego Dominus Deus tuus, sanctus Israel saluator
tuus. Dedi propitiationem tuam Egyptum, & Ethiopiam & Saba pro te. Ex
quo honorabilis factus es in oculis meis, & gloriosus: ego dilexi te, & dabo homi-
nes pro te, & populos pro anima tua. Noli timere, quia ego tecum sum, dicit
Dominus Omnipotens.

PARAPHRASIS IN EANDEM LECTIONEM.

Magna est sanctorum martyrum constantia, qua minas & tormenta
impiorum perinde vt leuem quendam auræ flatum contempserunt,
& diuino armati præsidio casti timoris, & inuicti amoris Dei pericu-
la non attenderunt, non carnificum truces vultus & immanem crudelita-
tem, non corporis & membrorum omnium dissipatorem: non denique acer-
bissimam mortis pœnam alicuius pensi habuerunt: sed fidelibus animis
in autorem fidei & consummatorem Iesum aspicientes, id vnum curarunt,
vt pro illius honore nullos subterfugerent cruciatus, nulla sibi putarent
tormenta declinanda, quem priorem causa salutis suæ scirent tanta pertu-
lisse, quanta mens nulla queat capere. Atque vt in duris corporis afflictio-
nibus essent patientes, ac mitissima lenitate furentem hostium tyrannidem
eliderent, non dubium est, quin sacrorum voluminum sententijs sese ani-
marint, quales certè plurimæ sunt in vtroque Testamento: cuiusmodi etiã
haud vulgares habet isthæc præsens Esaia lectio, qua Dominus martyrem
suū confortans, ita eum alloquitur: Hæc dicit Dominus Rex Omnipotens,
cuius

Heb. 11.

eius nati cuncta disponuntur, creans te Iacob vitiorum supplantatorem,
 & formans te Israel Dei contemplatorem, quales fuere sancti martyres, qui
 vique adeo in se vitia pessum presserunt, vt maluerint vitam amittere, quā
 vel in vllum consentire peccatum: & Deum per fidem hic contemplati sunt,
 sicut Apostolus ait, per speculum in ænigmate. Atque rectè vtroque hoc no-
 mine Christi martyr appellatur nempe Iacob & Israel, quandoquidem non
 potest esse idoneus martyr Christi, qui nesciat dominari vitijs, & Deum per
 fidem vel vtrunque contemplari. Quomodo enim pro Christo mori po-
 terit, qui vitijs subiacet, & Deum ignorat? Tali ergo dicit Dominus:
 Noli timere hominum minas, pœnas, corporis dolores momentaneos. Fi-
 delis sum, non potero sustinere, vt vltra vires affligaris quia redemi te, non
 corruptibilibus auro vel argento sed præcioso sanguine meo, & vocavi te
 nomine tuo, quod ex omni æternitate scriptum habui in libro vitæ. Nouit
 enim Dominus qui sunt eius. Ita dixit & Moyse, Noui te ex nomine. Impios
 autem nescit, quia eos tanquam spurios à sua hereditate profus excludit,
 vel nec illorum vnquam meminisse dignatur, dicitq; illis in extremo die,
 Amen dico vobis, nescio vos. Suis autem dicit. Meus es tu non solum creatione, &
 redemptione, sed etiam voluntatis omnimoda consensione, & æterna præ-
 destinatione. Nihil ergo timeas, quia cum sis meus, non potero non tui cu-
 ram agere. Insurgant licet creaturæ omnes aduersum te, tamen quia meus es,
 quid tibi officere poterunt? Cum transferis per aquas, temporalium affli-
 ctionum, & multimodarum perpeccionum, vexationum, tentationum, te-
 cum ero, te corroborans, & flumina inundantium malorum non operient
 neque obruent te mea virtute munitum. Impugnaberis quidem sed non ex-
 pugnaberis: senties acres tentationes foris & intus, sed non consenties meæ
 gratiæ præsidio vallatus. Cum ambulaueris in igne feruentium persecutio-
 num, ac acerrimarum impugnationum & angustiarum, non combureris,
 nec aliquid senties detrimenti sicut nec tres illi pueri in camino ardenti: &
 flamma vitiorum non ardebit in te, sed potius ignis amoris mei, qui facile
 omnia te superare faciet & cunctis hostibus & tentationibus efficiet superio-
 rem. Sed & ipso corporeo igni si traditus fueris, non combureris, si id tua &
 aliorum saluti prodesse poterit. Ita multi martyres etiam flammam illam si
 uaserunt. Et quid mirum, si id præstet Dominus martyribus suis, quando etiam
 bruta animantia quædam in igni viuere dicuntur? Quia ego Dominus
 Deus tuus sanctus Israel, Israelis, id est, electorum omnium sanctificator, tuusq;
 Saluator, dedi propitiationem tuam Aegyptum, Aethyopiam, & Saba pro te.
 quandoquidem tuo exemplo, tua constantia, tua insuperabili & inuisibili cha-
 ritate multi peccatorum tenebris & erroribus implicati, qui per has gentes
 significantur, ad me conuertentur, meq; propitium habebunt idq; totum in
 te redundabit, eritq; in augmentum gloriæ ac meritorum tuorum. Ex quo
 honorabilis factus es in oculis meis & iudicio meo ob præclarissima merita
 tua, & gloriosus ob indevictam perseverantiam, quæ sola coronatur, ego di-
 lexi te, amore gratuito & immenso. Et dabo homines pro te, & populos pro
 anima tua, ita vt quamuis crudeles tyranni ob fidem meam te penitus extin-
 guere, & memoriam tuam profus omnem delere moliantur, non solum tamen
 ad non possint, sed etiam velint nolint videre cogantur plurimos per te ve-
 nire

Martyres san-
 cti vt vitam
 maluerint a-
 mittere quā
 peccata con-
 sentire.

1. Cor. 13.
 Martyres vt
 mystice vo-
 centur Iacob
 & Israel.

1. Pet. 1.
 Philip. 4.
 2. Cor. 1.
 Exod. 33.

Matth. 7.
 Matth. 25.

Dan. 3.

Aegyptus Æ-
 thioptia, & Sa-
 ba quid my-
 stice ligant.

Matth. 10.

Luc 21.

Matth. 24.

nire ad agnitionem & confessionem nominis mei, & pro te vno multos exurgere, qui meam fidem amplectantur. Noli ergo timere, quoniam ego tecum sum, paratus prestare tibi virtutem & sapientiam, cui non possint resistere omnes aduersarij tui. Itaque mea opere fretus noli timere. Non tu tuis pugnabis viribus, sed meis. Caro quidem infirma est, hostes multi & crudeliter valde: sed noli timere, quoniam ego tecum sum: tantum cura, vt & cuiuspe mecum sis, gratiam meam non repellendo, sed ea dignè vtendo. O verbum consolatorium, quod merito attendere debeant omnes qui afflictionibus premuntur, vt certissima Dei sui presentia & adiutorio erecti, spe bona perseuerent in bono.

EXEGESIS EVANGELII EIVSDEM FESTI.

Lucæ nono.

Lucæ 6.

1. Pet. 2.

Natura hominis in primis parentibus, tanquam in sua radice vitiosa, semper in malum procliuus est, adeo, vt nisi diuina gratia retrahatur, nihil sit tam nefarium, tam execrabile, quod non facile perpetrari possit. Itaque semper acriter decertandum nobis est contra nos ipsos, quia hostem domesticum quotidie circumferimus, nempe carnem nostram: & multa sanè vigilantia ac sollicitudine vtendum, ne qua ex parte vincamur. Non est quod pollicearis tibi ô homo Christiane requiem, & iucundos dies in hoc exilio. *Va vobis*, ait Christus, *qui ridetis, quia plorabitis & flebitis*. Totus corruptus es ac deprauatus, non licet tibi obtemperare desiderijs carnis tuæ, quæ militant aduersus animam tuam. Laborandum est iugiter, & multa adhibenda industria, vt profligatis vitijs, possis ad veram reformari innocentiam. Noli inaniter iactitare Christum pro te satisfecisse. Proderit tibi illius satisfactio, si monitis eius morem gesseris. Vis scire, quid à te exigat? Audi vel præfens Euangelium.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.

Matth. 7.

Lucæ 6.

Hier. 7.

Ecce habes, quo te verum Euangelicum declarare queas. Quid dicis Christo seruatori tuo, Domine, Domine, & non facis quæ præcipit? Olim Iuda gloriabatur in templo Domini. Sed quid illis hoc profuit? Propheta Hieremias loquatur: *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Bonas facite vias vestras, & studia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto. Sic ergo nec tibi proderit Christi satisfactio, nisi facias quæ ille exigit à te. Exigit autem, vt si ipse velis esse sectator & discipulus, abneges temetipsum. Quid est abnegare semetipsum? Propriam voluntatem & priuatum amorem funditus extirpare. Hoc opus, hic labor est: & tu audes tanquam iam securus gloriari, & tuis indulgere voluptatibus? Abnega teipsum, noli secundum carnem viuere, sed spiritu mortifica carnis desideria, odia propriam voluntatem, & vbiunque teipsum inuenieris, teipsum desere. Noli aspirare ad honores & dignitates, noli carnis oblectamenta captare, noli cumulantibus inhiare opibus, sed abnega teipsum, & eiusmodi perniciosâ desideria in altari cordis tui concremata ceu hostiam gratissimam offeras Deo tuo. Deinde etiam tolle crucem tuam, non vno

Abnegare seipsum quidam sit. Roman. 8. Coloss. 3.

Crucem tol-

Quantaxat die, sed quotidie, donec spiritus in te vilis reliquus erit. Tolle, inquam, crucem tuam, ut aut ipse sponte te affligas per voluntariam penitentiam, sine qua nulli salus esse potest post peccata mortifera à baptismo perpetrata, aut flagella Dei patienter feras. Id autem difficile tibi non erit, ubi te ipsum abnegaueris. Quisquis enim crucem grauius fert, necdum sese abnegauit: etiam dum in eo propria viuunt voluntas: quæ si extinda esset, crux nulla grauate sentiretur. Si autem ipse Deus & Dominus noster crucem tulit longè acerbissimam, quid miri est, si seruus crucem ferat? Certè qui diuino bene sunt imbuti amore, mollia potius fugiunt, & crucem charius amplectuntur. Per crucem ad palmam pertingitur. Christianus dici vis? Tolle crucem tuam quotidie, & sequere Christum ad montem Caluarie, propriam crucem deportantem. Sine cruce vix poteris saluus fieri. Porro & te ipsum abnegando, & tollendo crucem tuam, sequere Dominum tuum, ut nihil horum agas studio placendi hominibus, aut humanam aucupando gloriosam, sed ut placeas Patri tuo qui in cælis est. Si enim aliud spectes, non sequeris Christum, qui non quæsiuit gloriam suam, sed Patris. Ergo omni Christiano id necessario incumbit, ut in omnibus, quæ Dei & Ecclesie præceptis repugnant, & quæ ad salutem exiguntur, sese abneget, frangatque voluntatem suam, & tollat crucem penitentiae, atque Christum per arctam salutis viam sequatur. Hæc est totius Euangelij summa. Quisquis aliud docet, non habet Christi spiritum, sed est Antichristus, & ob hoc ipsum haud aliter, quàm cacodæmon respuendus. Sed difficile est naturam in vitia procliuem edomare, difficile est carere voluptatibus, difficile est Christum sequi. Verum id est, sed *credenti omnia sunt possibilis*, & amanti nihil est difficile. Non vult Deus vni nostris hæc præstemus viribus, sed suam nobis opem pollicetur. Tantum non desit conatus noster, & gratia nullo negotio perficiet, quod nobis esset impossibile. Difficile est aurum cæteraquæ metalla è terræ visceribus elicere, difficile est mille subire vitæ discrimina pro distrahendis siue comparandis mercibus: denique nihil ferme est in rebus humanis, quod non habeat quandam adiunctam difficultatem: & tamen nemo est qui non difficultatem contemnat, ubi se sperat lucri quippiam reportaturum: sicquæ sit, ut quod in seipso difficile videtur, fiat ex Dei gratia & amore facillimum.

Crucem ferre quæ sit necessarium saluando. Matth. 17.

Sequi Christum quid sit. Ioan. 8. & 10. Voluntatis propriae abnegatio quæ sit omni Christiano necessarium. Galat. 1.

Marc. 9.

Galat. 5.

Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet illam. Nam qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam.

Hæc sententia damnantur studia hominum sese amantium, qui aspera quæque fugiunt, atque in delicijs corpora sua paulo post in putredinem abitura sollicitè enutriunt, & quasi ad hoc nati simus, ut hic semper viuamus, omnia sibi præsentis vitæ commoda & oblectamenta adhibent: nihil vnquam perpeti volentes. Ieiunia, orationes, vigilijs, vitæ quandam seueritatem, solitudinem, silentium, corporis castigationes velut mortem ipsam fugiunt: contra verò quicquid potest esse voluptati, & consolationi maximo opere expectunt & amplectuntur. Sed audiant tales, quid Dominus dicat. Qui voluerit animam suam saluam facere, id est, indulgere affectibus suis, & secundum carnem viuere, perdet animam suam, & flammis nunquàm extinguendis reddet ob-

VI
22



Anima vti fa-
pienter sic
pendenda.

1. Pet. 2.
Psalm. 115.

Gregorius.

2. Tim. 2.

det obnoxiam. Qui verò perdidit exiguo hoc vitæ momentaneæ spatio animam suam, obluendo prauis illius desiderijs, & diuinæ legi obtemperando, salutem faciet illam in vitam æternam. Eligat nunc quis quæ quod voler. Aut hic breui tempore cum Christo & electis omnibus abstineat à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam, & seminet in lachrymis, vt postea cum gaudio metat: aut hic molliter & delicate viuat cum impijs, & reprobis omnibus, vt postea sine fine tormentis ineffabilibus excrucietur. Vix enim cuiquam contingere potest, vt hic floreat & gaudeat in hoc mundo, & postea cælestibus gaudijs perfruatur. Vtinam hæc Domini verba retenderent Euangelici nostri, non sic habenas laxarent vitæ suis. Verum, nouit Dominus qui sunt eius. Habeant qui volunt temporarias voluptates: qui autem Deum timent, prospera mundi despiciant, & in lachrymis militant semina bonarum actionum, lugeant sua & mundi peccata, molliem omnem aspernentur, & cum Christo moriantur in cruce.

Quid enim proficit homo, si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat?

Felicitas fal-
lax quæ sit.

Communis est hic hominum error, vt tum demum felices se arbitrentur si illis omnia ex sententia eueniant, si ad magnos honores & dignitates prouehantur, si floreat in hoc mundo, si affluant bonis huius vitæ: nec volunt æquo perpendere iudicio, quam multa his adiuncta sint animæ pericula: quæ multi in his miserè pereant, quam denique difficile, ne dicam impossibile, sit fortunæ simul & gratiæ donis abundare. Et tamen si vel omnia vnus aliquis mundi huius bona obrineat, quid prodest, si cum suæ animæ iactura id fiat? Fit sæpius, vt quidam infimæ conditionis, aut certè non multum fortunati, paulatim iucundos quosdam fortunæ status experiantur, & ex abitis fiant gratiosi ac sublimes. Isti iam se felices putant: à cæteris item prædicantur. Interim quantum illis accedit temporariæ prosperitatis, tanto etiam ipsi sibi plus indulgent, & quasi diuinæ sit gratiæ argumentum affluere bonis & voluptatibus temporalibus, totos sese quieti & oblectamentis tradunt. Rident, comestantur, potant, exultant, & vitam, vt ipsi putant, suauissimam transigunt. Sed non est hoc abnegare seipsum, & tollere crucem suam, & sequi Dominum Iesum, & perdere animam suam. Si hic semper victuri essemus, possent tales felices dici. At nunc infelices merito censendi sunt: quia exilium pro patria amplectuntur: & cum sint in carcere teterimo inter hostes inexpiabili odio ipsos prosequentes constituti, ita securi & hilares sunt, tanquam nullum impendat periculum. Verum si vel totum lucretur mundum, quid illis proderit, cum seipsum perdat suis obsequendo voluptatibus, & Christum contemnendo? Olim quidem sub persecutione impiorum, qui Christianos affligebant, quibusdam magna proponebantur præmia, si à Christo deficerent: puta honores, delitæ, dignitates, diuitiæ, largissimæ possessiones, quibus nonnulli delinuit, consentiebant impijs: & felices quidem eos iudicauit mundus: sed quid illis profuit momentanea prosperitas, qui animas suas æternæ damnationi obnoxias reddidere? Felicissimi sanè fuissent, si speritis vanis pollicitationibus, Deo ac Domino suo adhæsisent. At illi mala cupidine irrecti, Christum verecundabantur confiteri, & falsa Deorum

Quam hodie
vniuersum
culosissime.

simu-

simulachra adorabant. Sed quo tandem fructu? Audiamus infallibilis iudicis sententiam.

Nam qui me erubuerit, & meos sermones, hunc & Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.

Non est satis semper corde credere, sed etiam ore oportet confiteri, vbi id exigit aut honor Dei, aut vtilitas & salus proximi. Quod si tum aliquis vel hominum fauore delinitus, vel terroribus fractus malit à Christo deficere, & eius fidem negare, quam ingenuè confiteri ac prædicare, is etiam magna acquirat lucra temporaria, tamen miserrimus est, quia Deum perdidit, & animam suam æternis ignibus addixit. Atque vbi extremus venerit iudicij dies. Christus Iesus illum coram omnibus creaturis & ipso cælesti Patri suo confunderet, & summa cum ignominia tanquam alienum & apostatam à se repellet. Possunt autem hæc Domini verba etiam ad illos referri, qui ne derideantur, aut illudantur ac vexentur ab improbis, sæpenumero contra conscientiam suam in res illicitas consentiunt, & dum volūt hominibus placere, aut ipsidem displicere timent, à iustitia deslestant, & peccat in Deum suum. Qui sanè hoc ipso stultissimè agunt: & iusto Dei iudicio sæpe accidit, vt hominibus, quibus se in malo conformare student, magis displiceant, prorsusq; derisui & contemptui sint. Sed et si ea re magnam sibi hominum comparare queant gratiam, semper tamè præferendus est Deus, & ob nullius amorem, vel odium, quicquam iniqui admittendū est. Alioqui si propter homines velimus Deum postponere, ipse itidem in iudicio suo nos inter suos minime agnoscat. Verum vt id hominibus persuadeatur, difficillimum fuerit. Innumera est multitudo eorum, qui ne hominum vexationibus infestarentur, relicta iustitia, ad diaboli & impietatis castra se transtulerunt, & paucissimos hodie reperias licet, qui nō libenter Deum offendant potius, quàm ab hominibus irrideantur, aut hominum odio laborent. Qui autem Deum ex animo diligunt, neuiquam quicquam agunt contra iustitiam, etiā si sibi inimicos capiendos esse sciunt mortales omnes: nec putant sibi cuiusquam vel ambiendam esse gratiam, vel odium formidandum cum pietatis iactura ac detrimento. Semper ante oculos obuersant suos diem illum extremæ seueritatis, quo Dominus venturus est in maiestate sua & Patris, & Angelorum, & vt illius tunc mercantur gratia perfrui, & iram subterfugere, iam libenter humanum omnem, quantum Deo & iustitiæ inimicus est, contemnunt fauorem, & malunt apud omnes inexpiabili laborare odio, quàm à Deo & iustitia discedere. Sed ne tam arduis propositis præceptis, infirmorum animi discipulorum frangerentur, desperarentque Christi fidem vñquam posse incrementum & perseverare, iam Dominus sententiam subiungit consolationis plenam, ita dicens:

Dico autem vobis verè: Sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.

Passuri quidem estis plurima propter nomen meū, & totus in vos mundus insurget, omnis dæmonum turba debacchabitur, sed tamen omnis eo-

Rom. 10.

Placere hominibus studentes que retributio sequitur.

In eos qui ne hominibus displiceant, Deum offendunt.

Matth. 19.

rum conatus mea virtute & sapientia sic elideretur, vt etiam quidam ex vobis vsque eo victuri sint, vt Ecclesiam meam vigeant mirifice augmentatam, atque longè latequè propagatam: nec solum non extingui posse fidem meam, & Euangelium impiorum persecutione, sed etiam maioribus inde incrementis auferere. Quanquam possunt etiam hæc de Petro & Iacobo & Iohanne accipi, qui Christi gloriam in monte Thabor conspexere. Et veram quidem hanc fuisse Domini pollicitationem, ex sacris literis perspicuè declaratur. Creuit enim mirū in modum Ecclesia, adhuc Apostolis viuentibus: & licet persecutionibus laboraret, tamen quia nihil potest Dei consilium & voluntatem impedire, nulla inde detrimenta sustinuit, sed gloriosius est sublimata. Vanus est enim & inutilis, siue hominum, siue demonum conatus aduersus Deum, qui sua virtute facile premit & eneruat vires omnium ipsi repugnantium: siquidem omnipotens est. Quæ ex re magna nobis præstatur consolatio, vt sicut certi sumus Ecclesiam nullis persecutionibus potuisse extingui, sed magis magisque profecisse: ita & nos Domini adiutorio communiti speremus ex hominum ac malorum spirituum impugnationibus non solum nihil accepturos incommodi, sed etiam, modò velimus, maiora gratiæ & gloriæ augmenta capturos.

SERMO IN EODEM FESTO.

De tolerandis afflictionibus: & de earundem multiplici vtilitate.

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum celorum. Actuum XIII. Charissimi fratres in omnibus vitis Sanctorum, imo & in vita sancti sanctorum Domini nostri Iesu Christi legitur, quanta aduersa, quantas tribulationes & infirmitates, quantas denique persecutiones sustinuerit, ita vt de nullo sentiendum sit, quod ad vitam æternam peruenit sine tribulatione: quia via tribulationis est sola & vnica via, quæ ducit ad vitam quam instituit & ambulauit Dñs noster Iesus Christus, & princeps omnibus militibus suis ostendit, sicut solent principes militiæ. Vnde etiam quando sancta mater Ecclesia aliquem vult sanctorum cathalogo ascribere, examinat vitam eius, & interrogat præcipuè de patientia, vtrum & quomodo sustinuerit tribulationes & labores huius vitæ: quia pro certissimo habet secundum Apostolum, quod *nemo coronabitur, nisi qui legitime certauerit*. Porro, cum videamus quod mali homines vt plurimū prosperantur in hoc mundo, sancti verò multas sustinent tentationes & pressuras, possumus non inconuenienter causam huius perquirere. Licet enim non dubitemus, quin iudicia Dei sint iusta & vera, quamuis nobis occulta, tamen possemus interrogare & admirari cum sancto Hieremia, qui cum Deo disputans, dicit. *Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus qui prauaricantur, & iniquè agunt. Plantasti eos, & radicem miserunt: producunt & faciunt fructum, scilicet in temporalibus bonis. Prope tu es ori eorum* (scilicet vt exaudias eos, quicquid temporalibus te petunt) & longè à corde eorum, scilicet quia non contristas eos, & non punis. Et tamen contra S. Apostolus tuus Paulus dicit: *Omnes qui volunt viuere in Christo, persecutionem patientur*. Et tumet dicis in Apocalypsi: *Ego quos amo, arguo, & castigo*. Refera nobis Domine mirabilia iudiciorum tuorum

Matth. 17.

Ecclesia quibus modis olim creuerit.

Sanctorum cathalogo qui ascribantur sancti.

2. Timoth. 2.

Hierem. 17.

2. Timot. 3.

Apoc. 3.

tuorum secretum. Nam eos qui te diligunt affligis, & qui te odium foues, & concedis eis prospera.

Charissimi fratres, licet Dominus noster & omnipotēs Deus sit erga nos, vt misericordissimus Pater, est tamen etiam verax & iustus, & ita exhibet misericordiam, quod tamen non declinat à iustitia. Sicut ergo ad bonitatem eius spectat, vt nullum bonum maneat irremuneratum: ita ad iustitiam eius pertinet, vt nullum malum maneat impunitum. Constat autem quod nemo ita bonus & iustus est in hac vita, qui non habeat aliqua etiam mala, saltem parua: teste Ioanne in epistola sua: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Sic iterum nemo ita malus est in hac vita, qui non faciat etiam aliqua bona, licet modica & insufficientia ad futuram beatitudinem. Quomodo insufficientia? Quia sine charitate, vel extra charitatem sunt facta. Aut si in charitate aliqua facta sunt, non tamen in charitate permanserunt: & ideo caruerunt premio infinito. Fructus enim boni operis (secundum Gregorium) perseverantia est. Ne tamen illa licet parua irremunerata maneant, dat Deus talibus hominibus temporalem mercedem, scilicet bona temporalia, honores, fortitudinem & sanitatem corporis, gratiā & fauorem coram hominibus, bonam fortunam & prosperitatem in agendis, & similia: peccata autem illorum reseruantur in futurum puniendā: quia non sunt digni, vt hic corripiantur à Domino.

Hic potest se quisque considerare cuiuscunq; sit status, & timere si prospera sibi eueniant, ne fortē sibi retribuat in presenti: quia, vt dicit Gregorius, Continuis successus temporalium, est certum futuræ calamitatis inditium. Seneca quoque licet gentilis esset, dixit: Nihil infelicius eo, cui nūquam accidit aliquid aduersi: malē de eo iudicauerunt dii. Et sanctus Augustinus, inquit, nullam plagam maiorem esse à Deo, quā quando Deus non defendit hominē à peccato. Et hoc fit quando non corrigit hominem, sed sinit eum agere secundum desideria cordis sui, donec veniat tempus, quando cōpleta est iniquitas illius. Tunc enim sustinebit horrendum iudicium. De talibus ponit comparationem sanctus Bernardus, inquit: Qui in delitijs mundi transit huius vitæ curriculum, similis est latroni, qui per florida prata trahitur ad suspendium. Vterque enim trāsit per delectabilia, sed finis malus est. Exemplum habetis in vita sancti Ambrosij, qui quum Romam pergeret, & ad quendam hospitem magnæ potentix & tēporalis felicitatis diuertisset, interrogauit de statu suo. Qui respondit: Domine satis bonus fuit semper, felix & gloriosus meus status. Ecce enim diuitijs infinitis abundo, seruos & famulas quam plures habeo, copiosam turbam filiorum & nepotum possideo, & omnia semper ad vota habui, nec vnquam mihi aliquid aduersi accidit vel quod contristaret aduenit. Quod audiens sanctus Ambrosius, vehementer obstupuit, & his qui cum eo erant in comitatu, dixit: Surgite, & hinc quantocius fugiamus, quia Dominus non est in loco isto. Quum ergo fugerent, & aliquantulum processissent, subito terra se aperuit, & illum hominem cum omnibus quæ ad illum pertinebant, ita absorbit, vt nullum inde vestigium remaneret. Quod cernens sanctissimus episcopus Ambrosius, dixit: Ecce fratres quam misericorditer Dominus parcat, quum hic aduersa tribuit: &

quam feuerè irascitur, quum semper prospera largitur. Et hoc est dictum de malis, cur prospere habeant in hac vita, & Deus dissimulat peccata eorum, id est, ita se gerat, quasi non videret: sed in fine apparebit bene, quando retribuetur eis, tunc gaudium peccatorum verteretur in perpetuum mororem.

Neminè potest viuere sine omni peccato qui intelligendum.

Electorum futurum peccata quomodo Deus hic puniat

Matth. 5.

Luce 16.

Sic e contrario iusti & boni homines non possunt viuere sine paruis peccatis, vt scilicet nunquam peccent: quia licet possimus à singulis abstinere, scilicet ab illo vel illo, &c. sed non ab omnibus. Sicut enim nullus est cibus, à quo homo non possit abstinere & viuere: quia si non comedit hoc, tunc comedit aliud: sed non potest abstinere ab omni, scilicet vt nihil comedat. Sic boni homines possunt abstinere à quocunque peccato seorsum considerato, sed non ab omni: quia si cauent ab vno, tunc cadunt in aliud: & quando pugnat aut defendunt se contra vnā malā cogitationem vel affectionē, interim lubinrat alia. Et hoc est dictum de paruis venialibus, quia de mortalibus peccatis per gratiam Dei potest quis abstinere ab omnibus & singulis. Hæc igitur peccata quamuis parua sint ex suo genere, non tamen dimittuntur impunita: aut si magna fuerunt vt mortalia, & per contritionem & confessionem sunt dimissa quantum ad culpam, sed non ex toto dimittuntur quantum ad penam: sed oportet, vt satisfiat, vel hic, vel in futuro. Cum ergo sacerdos nimis parua imponit penitentia multam, & nos etiam nihil adijcimus, tunc Deus vel diuina iustitia supplet quicquid non est purgatum & limatum: quia non possumus intrare in regnum cælorum, nisi simus purgati, limati & mundati ab omni macula peccati, ita vt simus puriores ac clariores sole. Et hæc est singularis gratia, quam dat Deus dilectis suis amicis, quod purgat eos in presenti, & non in futuro: quia illa futura pena in purgatorio est nimis acerba & ineffabiliter molesta ac aspera: & homo quādiu est adhuc in foro misericordiae: & in statu merendi, potest cum vno vero cordis gemitu, aut tonsione pectoris tantum delere, quantum aliqua anima post mortem multis diebus aut annis in purgatorio, quia est iam in iudicio iustitiæ, vbi oportet solui omnia, vsque ad minimum quadrantem, vel punctum, sine dimissione. Et etiam alia causa est: quia quicquid homo facit vel patitur in hac vita pro peccatis suis, est voluntarium & multum delet: sed post hæc vitā est inuoluturium & coactitiuum. Vt vero sancti recipiant purgationē pro peccatis paruis, & reprobi pro quibusdā bonis remunerationē, sit nobis exēpli loco parabola, quam Dñs posuit in Euangelio de diuite epulone, & paupere Lazaro. Dicatis mihi nunc, quædo videbatur Lazarus iacens in platea, & tam pauper, quod nec haberet de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & quod canes lingebāt eum, quis tunc cogitasset, quod tam magnus esset amicus Dei? quis veneratus fuisset eum tanquam futurum ciuem cæli? Quis quæso putasset nobilem ibi latere margaritam, id est, tam preciosam animam in sacco putrido corporis vlceribus pleni? Rursus quādo diues processit in publicum cum ingenti pompa ac fastu, quis illum delictis & honoribus plenum contempisset, tanquam inimicum Dei & socium dæmoniorum futurum? In fine tamen paruit Deum aliter atque homines iudicare, sicut scriptum est. *Mortuus est Lazarus, & portatus ab Angelis in sinum Abrahæ.* Ecce quantus honor sit pauperi, & despecto Lazaro. Notate, quia ciuis est cæli. Quid ei iam nocet contemptus? *Mortuus est autē & diues, ac sepultus est in sepulchro.*

in inferno. Ecce quanta desolatio & miseria. Vbi sunt nunc honores, vbi epulæ delicatæ, vbi tenera & preciosa vestimenta, vel cætera pompæ? Ecce quando vterque fuit in vita, quis non potius optasset diuitias diuitis, quam mendicitatem & infirmitatem Lazari? Sed nunc quando iudicatum est de vtroque, quis non magis commédât paupertatem Lazari, quam velit cum diuite esse? Quid fuit illi dictum posteaquam petiuit guttam aquæ sibi porrigi à Lazaro, quem despexerat in vita, quomodo fuit ei responsum? *Recordare quia bona recepisti in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Nunc verò hic *consolatur, tu autem cruciaris.* Ex quibus verbis innuitur, quod diues ille etiam pauca bona fecerat, pro quibus in hac vita fuit remuneratus: & similiter Lazarus aliqua parua peccata habuit, quorum purgationem recepit in hac vita. Sed tamen quantum dilectus fuerit Deo etiam inter flagella sacra scriptura monstrat, cum scriptum sit: *Erat diues quidam, &c. postea subiungit: Mendicus quidam nomine Lazarus.* Certè apud nos solent magis sciri & scribi nomina diuitum quàm pauperum. Quis enim illum & illum diuitè non sciat? Sed quis de illo vel illo paupere interrogat? Si trāsit diues interrogatur: sed pauper nec respicitur. Quare ergo Christus in Euangelio non nominat diuitem, sed mendici describit vocabulum, nisi quia illum nouit ex nomine, cuius vitam nouit ex approbatione? Propterea dicit reprobis in iudicio: *Discedite à me operarij iniquitatis, quia non noui vos.* Quid est, non noui vos? Id est, non accepto vos, non approbo vos, non volo vos: quia in vita nullam notitiam vel familiaritatem contraxistis mecum, non fuistis me alloquuti, sed pactum fecistis cum mundo, & consilium cum diabolo. Ex his iam dictis intelligitis causam, quare sancti multa patiantur & premantur in hac vita: Primo, scilicet ratione culpæ delendæ, & suæ purgationis. Secundo, ratione suæ coronationis, & gloriôsæ remunerationis, siue maioris gloriæ promerendæ: quia sicut prius dixi secundùm Apostolum, *Nemo coronabitur, nisi qui legitime certauerit.* Et ideo quos Deus altius vult coronare in cælo, illos solet hic diutius & alacrius limare & præmere tribulationibus: sicut metallum, quanto magis & diutius atteritur & limatur, tanto amplius splendescit. Quum autem nemo (sicut dicit Augustinus) possit coronari, nisi qui vicerit, & nemo queat vincere, nisi qui certauerit, nec certare valeat, nisi quis habuerit tērationes & tribulationes, ergo hinc consequens fit, quod nemo coronabitur, nisi qui habeat tentationes & tribulationes. Certamen verò nostrum, quo pugnamus, est patientia, qua vincamus nosmetipsos. Vnde dicit Hieronymus: *Non nisi per patientiam impletur quod dicitur: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud:* quia secundùm Gregorium, ad sublime præmium non peruenitur, nisi per magnos labores. Et sanctus Hieronymus, impossibile est, inquit, vt quis præsentibus fruatur bonis & futuris, vt transeat à delitijs ad delicias. Et D. Gregorius ait: *Non potestis hic gaudere cum seculo, & postea regnare cum Christo.* Et diuus Paulus ait: *Si compatimur, & conregnabimus.* Latro qui Christo socius fuit in passione, fuit & ipsi eodem die socius indiuiduus in paradisi consolatione. Dominus Iesus non habet duos cælos, scilicet hic & in futuro: alias iniuriam fecisset sanctis martyribus, cæterisq; sanctis omnibus, qui dilexerunt eum, ipsiq; placuerunt: qui omnes, sancta Iudith accitante,

Lucæ 16.

Nomen Lazari cur huiusmodi exprimat, & e pulonis taceat.

Matth. 25. Lucæ 13.

Electos Dei affligit ob causas diuersas.

2. Timot. 1.

Augustina.

Coronati nemine in cælis, nisi fuerit tribulatus in terris.

Hieronymus.

Matth. 11.

Gregorius.

Hieronymus.

Rom. 8.

Lucæ 13.

Iudith 8.

bb

per

VI
22

- Tribulatione esse porta ad regnum celorum.
- Lucæ 24.
- Bernardus.
- Gregorius.
- Idem.
- Afflictionum multiplex utilitas.
- Tribulatio v. ti cor. obliuatum, emolliat.
- Prosperitates temporales, cur Deus aliquibus subtrahat.
- Osee 2.
- Gregorius. 2. Paral. 31. 4. Reg. 21.
2. Paral. 33.
2. Para 36.
- Lucæ 15.
- Ibidem.
- per multas tribulationes transferunt fideles. Oportet nos semper considerare, quod hæc via despectionis & tribulationis est via & porta ad regnum celorum, per quam ipse Christus Dominus ingressus est, & omnes qui volunt eum sequi, oportet eadem via ingredi. Quid quasi scriptum est de Christo, qui fuit sine peccato? *Oportebat Christum pati* &c. Licet Christus etiam non esset passus, nihilominus intrasset in gloriam suam, tamen decebat ut non potestate, sed merito acciperet sui corporis glorificationem, in hoc quod faceret gratissimum & acceptissimum opus Deo, moriendo pro salute omnium. Super ista verba dicit sanctus Bernardus: Si oportuit Christum pati, & ita intrare in regnum suum, quomodo nos miseri intrabimus in regnum non nostrum, nisi prius patiamur? Et sanctus Gregorius, Si ipse hinc sine flagello (inquit) non exit, qui sine peccato venit, quomodo flagellis digni non erunt, qui huc cum peccato venerunt? Sed inter hæc considerandum est, quod ipse Gregorius dicit: Quid illic sunt passuri quos Deus reprobatur, si hic sic cruciatur quos amat? aut quomodo ferientur, qui in iudicio arguendi sunt, si sic eorum vita præmitur, qui ipso iudice teste, laudantur?
- Tertio, sancti tribulantur in hac vita ratione suæ utilitatis. Sunt autem multe utilitates tribulationum. Prima, quia mollit cor obstinatum in malo. Sunt enim multi homines viuentes in peccatis, & quia viuunt in delictis, prosperitatibus & commodis corporis secundum propriam voluntatem, ideo sic obdurantur in peccatis, ut non possint ea abijcere: & quando nihil sentiunt aduersi, putant se impunè semper acturos omnia, & nihil cogitant de futura retributione. Sed tamen Dominus etiam inexhaustum misericordie suæ fontem permittit interdum fluere ad tales, subtrahendo eis prosperitates temporales, & sanitates, & honores, & cætera quæ sunt eis occasio peccati: ita ut ad talem deuoluantur statum, quod amplius non libet eis peccare, vel quod non possunt: & tunc faciunt ex necessitate virtutem. Hinc est quod Dominus per Prophetam Oseam dicit ad animam peccatricem: *Septem v. an tuam spinis*, id est, impediam propositum tuum malum tribulationibus, ut non possis perficere voluntatem tuam. Et sanctus Gregorius dicit: Mala quæ nos hic præmunt, ad Deum ire compellunt. Exemplum habetis in Manasse rege Iudæ, qui super omnes reges, qui ante eum fuerunt in Hierusalem, peccauit in idololatria, & effusione sanguinis, & omni iniquitate: & quamdiu fuit in prosperitate sua non agnouit peccatum suum, nec emollitus est ad timorem Dei: sed postquam captus à rege Assyriorum, ductus fuit in Babylonem, & vinctus carcere, tunc demum illa tribulatio emolliuit cor ipsius, quod recognouit peccata sua, & clamauit ad Dominum: & confitendo peccata sua, & orando pro liberatione, & humiliando se, exaudiuit eum Dominus & liberauit eum. Postea emendauit vitam suam, & cessauit à peccatis. Simile exemplum habetis in parabola de filio prodigo, qui patrimonium suum accepit, & profectus in longinquam regionem, quam diu fuit in prosperitate, tam diu mansit in iniquitate: sed postea quando nihil amplius habuit, redijt ad se, emollitus per inopiam siue penuriam, ac recognouit se, dicens: *Reuertar ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccauimus celum & coram te, iam non sum amplius dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercarijs tuis.*

VI
22

Illuminatur ergo homo per tribulationem, quod venit ad cogniti-
nem sui, & se peccasse erubescit. Sunt enim multi agentes in prosperitate
non cognoscentes peccata sua, quia obcæcaturum habent intellectum per
peccatum, quod non intelligunt se peccare, hoc est, non aduertunt vel
non curant: tamen quando eueniunt eis aduersa, tunc cognoscunt sibi
hæc propter peccata sua euenire. Exemplum habetis in superbissimo rege
Antiocho, qui Iudæos voluit omnes delere, & eorum legem, & templum,
& ciuitatem in cumulum lapidum redigere: sed punitus à Deo in infirmitate
maxima, sua recognouit peccata, & glorificauit Deum, & promisit se Iu-
dæum futurum, & multa bona facturum, si superuixisset. Nonne recolitis
historiam in Genesi, quomodo filij Iacob vendiderunt fratrem suum Ioseph
in Aegyptum ex inuidia, & dixerunt patri, quod fera deuorasset eum:
qui tamen diuina prouidentia factus fuit princeps totius Aegypti, secundus
à Pharaone, sicuti ad longum tradit historia. Orta tandem fame super ter-
ram, uenerunt fratres ipsius Ioseph in Aegyptum ad emenda alimenta, &
non cognouerunt eum: sed ipse probè cognouit illos. Breuiter Ioseph vo-
lens eis in memoriam reducere peccatum, quod in ipsum admiserant, dixit
eos exploratores esse, & tenuit unum captiuum ex eis: & postea quando ite-
rum redierunt, iussit in saccis eorum abscondi seipsum, & furti eos accusa-
uit. Hoc uero totum fecit non ut vindicaret se de fratribus suis, sed ex vo-
luntate Dei & zelo iustitiæ: ut peccatum eorum puniretur. Cuiusmodi hæc ef-
fense angustia constricti, collegerunt sese, & peccatum suum vexatione oru-
diti agnoscentes, dixerunt inter se: *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fra-
trem nostrum Ioseph, uidentes angustiam animæ eius cum deprecaretur nos, &
non auduimus: ideo ueniunt nobis hæc mala.* Ecce tantum tempus effluxer-
at, quod hoc peccatum fecerant, nec leguntur poenituisse, vel cum dolo-
re commemorasse aut retractasse, sed quando fuere afflicti, recordati
sunt iustum esse Deum, & quod eos affligeret, eo quod afflixissent fra-
trem suum, & didicerunt ex ipsa angustia, quomodo malè vexassent Ioseph.
Secundo, per tribulationem præseruatur homo à vitijs: quia
quotidie experientia discimus, ut sanctus quisque, si non habeat flagel-
lum custodiens ipsum, prolabatur facillè ad vitia. Et hæc maxima cau-
sa est, quare sancti ita dilexerunt esse in infirmitatibus & tribulationi-
bus, quia cognouerunt per huiusmodi se custodiri & refrænari à pecca-
tis. Exemplum habetis in vita sancti Thomæ, & de sancta Catherina Se-
nensis, quæ vsque adeo sitiuit cruces & afflictiones, ut sine illis nollet vi-
uere. Tertio, quia per tribulationem sæpe liberatur homo à tentationi-
bus carnis: quia per illam refrænatur concupiscentia, sicut supra exem-
plum habuistis de filio prodigo, quod consumpta substantia, quando
cepit famem pati & paupertatem, ab eo discessit desiderium luxuriæ.
Et in vicijs Patrum habetis exemplum, quomodo quidam tentatus spiri-
tu fornicationis, nulla ratione potuit liberari: tandem Abbas illius præ-
cepit monachis fratribus suis ut vexarent eum, & molestias & iniurias fac-
cerent ei, & nihilominus accusarent, quod ipse alijs talia fecisset. Tandem
interrogatus, ut se haberet erga tentationem fornicationis, respondit: *Mihi
viuere non licet, hoc est, alius me hic vexat, alius illic, & fornicari libeat?*

Peccata sua
cur quidam
agnoscere
nolint.

1. Mach. 1. 6.

1. Mach. 9.

Gen. 37.

Gen. 40.

Gen. 41.

Gen. 42.

Genes. 43.

Genes. 44.

Ioseph cur
afflixerit fra-
tres suos in
Aegypto.

Genes. 42.

Per tribula-
tionem homi-
nem seruari à
vitijs.

Sancti cur in
aduersitati-
bus gaudere
soleant.

Tribulatione
à carnis tea-
tationibus
liberari.



Tribulatione mentem cuiusque reuocari ad Deū.

Quarto, quia per tribulationem mens dispersa per exteriora, cogitur redire ad se. Deus enim ita se gerit perinde ut mater, quæ abstrahit filium à lacte: quia quando non inuenit homo, quod ipsum delectet foris, cogitur redire, & querere pacem intra se cum Deo: quia si tribulationes non essent, homines in delicijs constituti, obliuiscerentur Dei. Quapropter dicit Gregorius: Electis suis Deus iter asperum facit, ne dum delectentur in via, obliuiscantur eorum, quæ sunt in patria. Exemplum habetis de Salomone, qui in delicijs semper vixit: & quum esset sapientissimus, ad tantam stultitiam deuolutus est, ut idola coleret, victus amore mulierum. Causam huius assignat sanctus Gregorius, dicens: Cor Salomonis idcirco funditus sapientia deseruit, quando ipsum nulla disciplina exterius custodiuit. Et contra sanctus Paulus de seipso dicit: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis mee angelus Satana, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut diceret à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate percipitur.* Hinc est quod sancti in tantum diligunt affligi, quando quidem res ipsa experiuntur, sicut prosperitas est ruinæ occasio, ita per afflictiones hominem incitari ad consulendum salutem suam, & virtutes excolendas, Deumque timendum. Quinto, facit hominem seipsum cognoscere. Multi enim sunt, qui tempore pacis putant se valde perfectos & patientes esse, & proponunt ardua: sed veniens leuis aura aduersitatis dissipat totum quod proposuerunt, atque ita apparet, vix vnum verbum tolerare posse, quibus videbatur quod vellet & possent pro Christo mori. Similitudinem habetis in milite vel pugnatore, qui non potest scire vires suas & robur, quando non pugnat. Sic electi discunt sapere & experiuntur infirmitatem spiritus, & paupertatem in tentationibus, quod videlicet sunt vsque adeo pauperes, ut non possint vnam vincere cogitationem, sicque fiunt humiles. Et ideo dicitur in Ecclesiastico: *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Sexto, facit hominem de se diffidere, & spem ponere in Deo, & querere auxilium ab illo. Vnde dicit David de seipso in Psalmo: *Ad Dominum cum tribularer clamavi.* Exemplum habetis in libro II. Paralipomenon de Iosaphat rege Iudæ, qui quum viderat magnam multitudinem inimicorum venire contra se, à qua se non poterat humano subsidio defendere, clamavit ad Dominum, & dixit: *Quum ignoremus quid age debeamus, hoc solum residuum habemus, ut oculos nostros ad te dirigamus.* Septimo, adducit diuinam consolationem, sicut in Psalmo David dicit: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuas latiscauerunt animam meam.* Et Dominus dixit ad discipulos suos: *In mundo pressuram habebitis: mundus gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertitur in gaudium.* Et sanctus Augustinus ait: Vbi nulla est tentatio, ibi nulla est deuotio. Sed putatis aliquem esse qui nullam habeat tentationem, quum scriptum sit: *Tentatio est vita hominis super terram?* Haec dubio nemo est sine tentatione. Sed ille dicitur esse sine tentatione, qui tentationem suam non agnoscit. Et hæc est tentatio periculosissima, & perniciosissima, quando scilicet homo non cognoscit se tentari: quia tunc etiam non resistit, sed cadit de vno malo in aliud, & obcæcatus est a deo, ut nesciat quod tendat, aut quid faciat. Et in hanc tentationem digni sunt, vel permittuntur incidere, qui à paruis peccatis non volunt, nec proponunt abstinere, quum

Gregor.

3. Reg. 17.

Gregorius.
Salom. n. cur
permisus sit
cadere in i-
dololatriam.
2. Cor. 12.

Tribulatione
quemque ve-
nire ad sui a-
gitationem.

Eccle. 17.

Tribulatione
discere que-
re de suis
diffidere viji-
bus.

Psal. 119.

2. Para. 20.

Tribulatione
homines ac-
quire con-
solationes.
Psal. 91.

Ioann. 16.

August.

Iob. 7.

Sine tentatio-
ne quisquam
esse dicitur.
Tentatio pe-
riculosissima
omnium que
sit.

facile possint: quia cogitant, quod parua sint, ideo Dominus permittit eos sic obcæcari, vt cadant tandem in magna, nec sentiant. Tales similes sunt illi, qui dominum suum non vult quidem occidere, tamen vult ei dare multas alapas, persuasum habens, quod propter has non morietur dominus. Octauo, auget magnam gloriam tribulatio in futuro: quia, sicut prædixi, vt nullum malum manet impunitum, ita nullum bonum irremuneratum. Sed dicit aliquis: Ego multa peccata feci, & tanta, quod nec pro vno sufficio satisfacere & dolere: quomodo ergo possum mereri præmium? quia quicquid facio non sufficit ad soluendum debitum. Debetur ergo adhuc mihi etiam præmium? Respondendum: Verum est, quod omnia opera nostra non sufficiant secundum se, vel ad delendum debitum, vel promerendum præmium: sed tamen virtute passionis Christi, quæ est infinita possumus aliqua mereri & delere, quia sumus membra Christi, quæ diu sumus ei vniti per charitatem & ideo meritum eius est meritum meum. Sed ad questionem, quod omnia nostra transeant ad solutionem debiti, & per consequens nihil ad acquisitionem gloriæ, dicendum, tantam esse Dei bonitatem, vt pro vnoquoque opere bono facto in charitate reddat duplex præmium. Vnum est essentialiale vel substantiale, & est gaudium, quod consistit in visione iucunda & fruitione Dei, in quo est perfecta beatitudo, & secundum illud attenditur magis charitas & bona voluntas, ex qua factum est opus: sicut qui facit ex maiori charitate, habet tale maius præmium, quam qui facit idem opus ex minori. Vnde intelligitur, quod non respiciat quantum, sed ex quanto. Aliud est gaudium accidentale, de aliquo bono creato, vel de remissione debiti, id est, pœnæ, vel collatione donorum Dei. Et in hoc non solum attenditur charitas ex qua, sed etiam operatio, scilicet quanta, & quam pœnosa: & secundum hoc percipit homo etiam præmium, id est, absolutionem à grauiori pœna, licet etiam charitas in hoc attendatur. Si autem non haberet peccata, datur ei aliquid aliud, id est, deuotio, gaudium in conscientia, vel tale meritum conuertitur ad thesaurum Ecclesiæ, vbi sunt merita sanctorum & Christi, quæ supererogant ultra quæ necesse fuit: & inde datur illis, qui propria non habent merita: sicut patet in indulgentijs, quas facit Papa. Et ideo patet, quod in vno, eodemque opere & peccati pœna aliqua dimittitur, & aliquid premij in futuro meretur. Vnde potest rectè dici, quod is, qui habuit multa peccata viuens in pœnitentia facit multa opera bona, venit ad maiorem gloriam, quam aliquis iustus, qui pauca fecit peccata, & etiam pauca bona opera fecit: quia, sicut iam audistis, per bona opera simul delentur peccata & datur aliqua gloria. Et ideo dictum est etiam in Euangelio: Maius esse gaudium angelis Dei super vno peccatore, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Quod est intelligendum de peccatore, qui seruenter pœnitet & operatur bona, & de iusto, qui contentus iustitia sua, non seruenter operatur bona. Nam, sicut dicit Gregorius: Sunt etiam aliqui iusti, qui desunt parua peccata, & faciunt pœnitentiam, sicut magni peccatores: & de illis non intelligitur dictum Euangelij, nec illis comparandi sunt peccatores: quia etiam iusti licet non sic peccauerint, æquè tamen pœnitent. Quicquid tamen patimur vel operamur, multum iuuat intentio, vt scilicet ex charitate omnia procedant. Debemus ergo, si vo-

bb 3. lumus

Tribulatione
acquirere
quemq; glo-
riam magnã
in celo.
Iob .4.

Opera nostra
quo pacto fi-
ant merito
præmioque
digna.

Pro opere
bono dari
duplex præ-
mium.
Essentialiale
gaudiū quod.

Gaudium ac-
cidentale
quod fit.

Meritum v-
nius applica-
ri alteri.

Lucæ 19.

Gregorius.

Inferio qualis in quouis opere habenda.

Jumus multum placere Deo, in omni opere ralem habere intentionem, ut scilicet non faciamus ad euadendam poenam, sicut faciunt ferui, qui timore dominum, nec solum ad merendum pramium, sicut mercenarij qui pro mercede laborant, sed solum ad placendum Deo: quia scilicet si vult, facimus, si non vult, non facimus. Et hoc est filiorum verorum, ut scilicet, quod si etiam non esset damnatio & poena, nec retributio, nihilominus ad placendum Deo facerent bene. Quod nobis concedat Dominus noster Iesus Christus in secula benedictus, Amen.

IN FESTO CONVERSIONIS B. PAULI APOSTOLI, Lectio Actuum Apostolorum, cap. IX.

Galat.

1. Corin. 15.
2. Cor. 12.

1. in synago-
gis.

Saulus autem adhuc spirans minarum, & cecidit in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, & petiit ab eo epistulas in Damascum ad synagogas: ut si quos inuenisset huius via viros aut mulieres, vinculos perduceret in Hierusalem. Et quum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco: & subito circumfulsit eum lux de calo. Et cadens in terram, audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris, durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et tremens ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum: Surge & ingredere civitatem, & dicetur tibi quid te oportet facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terra, aperti que oculis nihil videbat. Admanus autem illum irabentes introduxerunt Damascum. Et erat ibi tribus diebus non viciens, & non manducavit, neque bibit. Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias, & dixit ad illum in visu Dominus, Anania. At ille ait: Ecce ego Domine. Et Dominus ad eum, Surge & vade in vicum, qui vocatur Rectus, & quere in domo Iuda Saulum nomine, Tharsensem, ecce enim orat. (Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem & imponentem sibi manus ut visum recipiat) Respondit autem Ananias: Domine, audiam a multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Hierusalem, & hic habet potestatem a principibus sacerdotum, alligandi omnes qui invocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dominus, Vado, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israel, ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Et abiit Ananias, & introiit in domum, & imponens ei manus dixit, Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas & implearis Spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squamae, & visum recepit, & surgens baptizatus est. Et cum accepisset cibum, confortatus est. Factus autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot. Et continuo ingressus in synagogas, predicabat Iesum, quoniam hic est Filius Dei. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, & dicebant, Nonne hic est, qui expugnabat in Hier.